



BOLLETTINO

SALA STAMPA DELLA SANTA SEDE

N. 0504

Sabato 14.10.2006

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO ALLE CELEBRAZIONI DELLA LIBERTÀ DELL'UNGHERIA (BUDAPEST, 22-23 OTTOBRE 2006)

LETTERA DEL SANTO PADRE AL LEGATO PONTIFICIO ALLE CELEBRAZIONI DELLA LIBERTÀ DELL'UNGHERIA (BUDAPEST, 22-23 OTTOBRE 2006)

In data 30 settembre 2006, il Santo Padre ha nominato l'Em.mo Card. Angelo Sodano, Segretario di Stato emerito e Decano del Collegio Cardinalizio, Legato Pontificio per le Celebrazioni della libertà dell'Ungheria, che avranno luogo a Budapest il 22 e il 23 ottobre 2006.

Il Legato Pontificio sarà accompagnato da una Missione composta da:

- Ecc.mo Mons. Juliusz Janusz, Nunzio Apostolico in Ungheria;
- Rev.do Mons. Piero Pioppo, Consigliere di Nunziatura in servizio presso la Segreteria di Stato;
- Rev.do Mons. Mark Gerard Miles, Segretario di Nunziatura in Ungheria.

Pubblichiamo di seguito la Lettera del Papa all'Em.mo Card. Angelo Sodano:

• LETTERA DEL SANTO PADRE

Venerabili Fratri Nostro
ANGELO S.R.E. CARDINALI SODANO
Secretario Status emerito
Decano Collegii Cardinalium

Nobile et aequum est iura propriae libertatis et religionis defendere et servare. Nam "vera libertas eximium est divinae imaginis in homine signum" (*Gaudium et spes*, 17). Ideo Ecclesia iustam dignitatem libertatemque iure tuendas censet: "Homo enim a Deo creante intellegens ac liber in societate constituitur" (*ibid.*, 21). Ii autem qui huius rei causa iniurias patiuntur vel vitam amittunt digni sunt laudis piaequae recordationis.

Sicut ergo quinquaginta ante annos venerandae memoriae Decessor Noster Pius PP. XII Hungariae populum libertatem suam defendentem sollerti animo precibus est comitatus et verbis consolatus, ita et Nos in praesens libentissime favere volumus sollempnibus celebrationibus quae mox Budapestini agentur in quinquagesima anniversaria memoria illius heroicae defensionis libertatis Nationalis.

Persuasum quidem habemus huiusmodi eventum proficere posse fidei et unitati illius nobilis Nationis totiusque Europae. Libenter igitur accepimus invitationem honorabilis Praesidis Hungariae Ladislai Sólyom. Cum autem Ipsimet illuc accedere non possimus, tibi, Venerabilis Frater Noster, qui magna prudentia et peritia Romani Pontificis cotidiana tam diu curavisti gravissima officia in totius Ecclesiae utilitatem, libenter fidenterque singulare hoc munus explendum committere volumus.

Quapropter harum Litterarum vi Nostrum Legatum te nominamus sollempnem ad commemorationem quae Budapestini diebus XXII et XXIII proximi mensis Octobris fiet, occasione data celebrationis libertatis Hungariae. Nostras igitur vices ages, ritibus sollempnibus praesidebis, cunctis adstantibus Nostram congrue transmittes salutationem, praecipue Hungariae Praesidi cunctisque Magistratibus et sacris Pastoribus; Nostram omnibus confirmabis benevolentiam, caritatem et spiritalem praesentiam. Hortari potes Synodi Vaticanae verbis omnes, "praesertim vero eos qui curam habent alios educandi, ut homines formare satagant, qui ordini morali obsequentes legitimae auctoritati oboediant et genuinae libertatis amatores sint" (*Dignitatis humanae*, 8).

Legationem tuam solliciti committimus validae intercessioni Magnae Dominae Hungariae necnon sanctorum Stephani et Ioannis de Capestrano, spe ducti ut eventus hic in illius Nationis bonum proficiat eiusque corroboret fidem, maturioresque simul gignat fructus caritatis et pacis. Benedictionem denique Apostolicam, caelestis gratiae pignus et Nostrae communionis testem, nomine Nostro omnibus huius celebrationis participibus peramanter largiaris volumus.

Ex Aedibus Vaticanis, die XXIII mensis Septembris, anno MMVI, Pontificatus Nostri altero.

BENEDICTUS PP. XVI

[01436-07.02] [Testo originale: Latino]
